



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

6 Vtr?um qui animo vsurario aliquid accepit pro mutuo, sine vllo externo pacto, teneatur ad restitutionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

lebs, mutat sententiam, eò quòd offeratur pulchra & opulenta vxor, decernitque hanc ducere; hic non facit pulchritudinem finem matrimonij propriè, sed suæ applicationis seu electionis, qua hic & nunc mutat animum, & se ad matrimonium applicat, vt benè explicat Caietan. to. 1. opusc. 12. q. 3. Idem dicendum de eo, qui amicitiam alicuius affectat, eam dumtaxat ob causam, vt inde aliquid commodi temporalis percipiat.

DUBITATIO VI.

Vtrum qui animo usurario aliquid accepit pro mutuo, sine vlllo externo pacto, teneatur ad restitutionem.

Usurarius mentalis. Notandum, hunc à DD. vocari *usurarium mentalem*, quia sine vlllo externo pacto mente usuraria aliquid accepit, siue alter det gratis, siue non.

41 Respondeo & Dico Primò, Si mutuans intendat aliquid accipere tamquam pretium mutui, seu tamquam debitum ex pacto mutui, & mutuarius eo modo det, (quod interdum accidit, quando indoles mutuantis ei est perfecta) tunc iudicio omnium, tenetur ad restitutionem. Ratio est, quia mutuarius non intendit donare gratis, sed solum tamquam debitum ex pacto mutui: atqui non erat debitum; ergo nihil dat. Iuxta hunc casum videtur intelligendum cap. Consuluit, de vsuris, vbi Pontifex dicit, eum, qui ex proposito mutuum pecuniam credit, vt plus sortè recipiat, (nempe tamquam debitum ex mutuo) inducendum efficaciter ad restitutionem: quamuis sine omni conuentione id fecerit. vide Couarr. ad regulam Peccatum, p. 2. in principio, nu. 4.

42 *Sine sciat dari gratis.* Dico Secundo, Si mutuarius det gratis seu ex amicitia, & mutuator id ignorans accipiat tamquam datum ex obligatione ratione mutui; tunc non tenetur ad restitutionem ex parte rei, sed solum ratione conscientie erronee, quamdiu illa durat. docet hoc Caietan. tom. 2. opusc. 8. q. 3. Couarr. supra. Gabr. d. 1. 5. qu. 11. Dubit. penultima. Secus eadem dist. q. 2. a. 2. Quod ex parte rei non teneatur. Probat Primò, Quia alter verè & re ipsa donauit, & transiit dominium in mutuantem: (non enim dedit tamquam pretium mutui, sed ex gratitudine, vt supponimus) ergo quotumque animo alter accepit, non tenetur ad restitutionem. Secundo, Quia nemo tenetur ad restitutionem, nisi qui habet alienum, vel qui iniuste læsit: atqui hic non habet alienum, nec iniuste læsit. est enim habuerit intentionem lædendi dum accipit tamquam debitum ex obligatione; tamen in re læsio non fuit secuta; nam alter non dedit ex illa obligatione iniusta, quam mutuator intendebat, sed ex amicitia; ergo læsus non fuit, sicut si accipiendo librum à Petro, putares te furto accipere, & consentire in furtum: si liber reuera sit tuus; (quamuis id ignores) ex parte rei non teneris ad restitutionem; quia in re non læsisses illum, vt rectè notat Sotus lib. 6. q. 1. art. 2. Similiter si quis liberam condonationem obtineat à creditore, liber est à debito, quamuis habuisset propositum numquam restituendi, & eo animo remissionem petuisset. Tertio Probat ex L. Inter omnes. 46. §. Rectè. 7. de furtis, vbi sic dicitur: *Contrectans*

rem, credens inuitum dominum, committit furtum, sed furto non est obligatus, si dominus erat volens.

Dices, Quamuis mutuarius det gratis, tamen mutuator non acceptat illud vt donum, sed vt debitum: ergo donatio hæc non est valida, cum non sit acceptata vt donatio; quod tamen requirit docent Iurisperiti.

43 Respondeo, Donationem non esse validam, quando acceptans non vult eam acceptare titulo donationis, sed debiti dumtaxat. quòd si velit eam acceptare omni titulo, seu modo, quo potest, (quod semper censetur facere dum contrarium non exprimit) valida est donatio. confirmatur, quia cum hic mutuator nihil quærat nisi lucrum; nulla subest ratio cur non censetur acceptare illud omni modo, quo potest. Adde, quamuis non acceptasset tunc implicite vt donum, postea tamen semper poterit acceptare quando vult. nempe quamdiu alter in eodem proposito donandi permanere censetur, seu quamdiu non reuocat donationem. vnde non tenebitur ad restitutionem. Itaque hæc obligatio restituendi nulla est, vel certè nullius momenti, cum ex libertate debitoris pendeat.

Petes, Quid si mutuarius det aliquid mutuanti, dum ei restituit sortem, & ille dubitet quo animo detur, vtrum possit retinere.

44 Respondeo, Caietanus supra, videtur sentire, posse retinere. Sed dicendum est non posse cum vero dubio, siue negatio, (vt quando non habet signa, vnde probabiliter coniciat dedisse, sed omnino nescit dederitne gratis, an pretium mutui) siue positio, (vt cum vtriusque paria sunt motiua) retinere. Ratio est, quia cum tali dubio non potest rei alicuius possessionem inchoare. vt ergo possit retinere, requiruntur tales circumstantie, vt omnibus perpensis, moraliter quasi certum sit gratis donari. quod ordinariè censendum est, quando mutuans non dedit vllum signum se aliquid petere; & mutuarius non præ se fert tristitiam in dando, aut aliquam molestiam, aut metum seu coactionem, nec est auarus; vt insinuant Caietanus & Couarr. supra. Quòd si bona fide putauerit aliquid gratis donatum, & post deprehenderit contrarium, tenebitur ad restitutionem; si tamen extet, vel factus sit ex eo locupletior. scilicet si bona fide consumptum, nec quidquam inde emolumenti superfit. vt patet ex dictis cap. 14. dubitat. 1. & 2.

DUBITATIO VII.

Vtrum licitum sit mutuari alteri cum pacto vt pœnam debitam, vel famam honorisve violati restitutionem condonet.

47 *Vt priuatam vindictam condonet.* Resp. & Dico Primò, Licitum est tibi mutuari alteri cum pacto vt priuatam vindictam tibi condonet. Probat, quia sic nihil lucraris, sed solum redimis iniustam vexationem tibi impendentem. nullum enim ius habet ad talem vindictam. Idem dicendum, si exigat iniustam aliquam satisfactionem pro fama, vel honore violato.

48 Dico Secundo, Si iustam vindictam vel satisfactionem exigat, non potes eum ratione mutui obligare pacto iustitie vt condonet; potes tamen pacto amicitie.

Vbi